



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XXIX. De dignitate & authoritate Pastorum & Prælatoru[m] Ecclesiæ
Christianæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

Antequam tamen hunc sermonem
abruppamus, gratias agamus bono
nostro Domino & Magistro pro lumi-
ne fidei, & Magisterio Sacrarum Scri-
pturarum ac Traditionum, præcepto-
rum & consiliorum, eumque rogemus
ut nos ijs conformari faciat: & si hæc
consilia emissis votis amplexi simus,
cum Propheta dicamus, *Confirma Do* Psal. 67.
mine quod operatus es in nobis.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

*De Dignitate & authoritate Pastorum
& Prælatorum Ecclesiæ
Christianæ.*

Cum iam à Christo Ecclesiæ suæ de
doctrinis, legibus, & consilijs pro-
uisum esset, quid ei aliud deerat, quam
idoneæ personæ quæ eam regerent &
tranquilla in pace conseruarent: Sæpè
enim doctrinæ & leges chartaceis in-
scriptæ voluminibus, si eas nullus ut
debet explicet applicetque, inutiles
esse solent. Instituit quidem Christus
ut supra vidimus Sacramentum Ordini-

P

nis

nis, ut illud susceptum potestatem ordinis cuius suscipienti conferret: nam etiam omnibus indifferenter potestatem iurisdictionis seu auctoritatem ubiuis terrarum legem suam annuntiandi, quavis peccata remittendi, & Ecclesiam suam regendi concessit; ad hoc enim opus erat specialis quadam iurisdictione & potestate. Quid ergo? Communicavit eam Christus Apostolis suis cum potestate eadem ulterius succedentibus sibi successoribus demandandi; docet hoc

Ephes. 4.

1. Cor. 12.

Apostolus dum de Christo ait, Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in edificationem corporis Christi. Neque enim expediebat ut quilibet divinarum mysteriorum explicationi se intromitteret sed certos ad hoc deputari expediebat: Insinuavit id Deus cum legem

Exod. 19.

Moyseicam populo Israelitico laturus Moysen seorsim in montem euocavit, reliquo autem populo sub comminatione mortis ne accederet interdixit. Insinuavit etiam Christus, cum enim habiturus esset

pul-

pulcherrimū illū de Beatitudinibus, *Matth. 5*
 & euangelicis cōsilijs sermonem reli-
 ctā plebe quam iā multa publicē do-
 cuerat cum discipulis in montem as-
 cendit: & alibi discipulis cum esset
 solus, parabolas quas populo dixerat
 seorsim explicauit, dicens, *Vobis datū* *Matth. 13*
est nosse mysteria regni cœlorum; illis au-
tem datum non est. Hoc est, vobis datū
 est intelligere hæc mysteria quæ mo-
 do non capiunt & populo postmo-
 dum explicare, iuxta illud Prophetæ,
Labia sacerdotis custodiunt scientiam & *Malach. 2.*
legem de ore eius requirent. Ministros
 autem verbi, & Prædicatores specia-
 les Ecclesiæ necessarios esse manifestè
 docet Apostolus cum ait, Fides ex au-
 ditu: quomodo autem audient sine
 prædicante? quomodo verò prædica-
 bunt nisi mittantur? quasi dicat, ad
 audienda fidei mysteria eaque intelli-
 genda opus esse fidei annūciatoribus:
 Imò & in morum materia monet Ti-
 morheū dicēs, *Prædica verbum, instā o-* *2. Tim. 4.*
portunè importunè, argue, obsecra, incre-
pa in omni patientia & doctrina.

Sicuti autem voluit Apostolus ver-
 bum Dei annunciari, ita etiam illud

ab auctoritate habentibus fieri im-
perauit, nam vt superius dixit, Quo-
modo autem predicabunt, nisi mittan-
tur? Christusque nos monet, Attende
te à falsis prophetis qui veniunt ad vos in
vestimentis ouium; intrinsecus autem sunt
lupi rapaces: Idcirco; Moyses ad Phara-
onem & populum Israeliticum mis-
tendus ab ipso Deo signum flagitauit, &
potestatem virgam suam in colubum
vertendi, aliaque miracula patrandi im-
petrauit & obtinuit, quibus missio
suam comprobaret. Congruum
est & rationi consentaneum, vt Prae-
dicatores missionis suae litteras exhibe-
ant; aut si se extra ordinem missos di-
cant miraculis & signis suae mis-
sioni fidem faciant, vt Christus & Apo-
stoli fecerunt, aut aliquo S. Scripturae
testimonio eam confirmet, vt S. Ioan-
nes Baptista cum dixit, Ego sum vox
clamantis in deserto, Parate viam Do-
mini, rectas facite semitas eius. Si enim
cuius se ad concionandum ingerent
credere oporteret, iam erimus sicut
paruuli fluctuantes, & circumferemur
omni vento doctrinae in nequitia homi-
num, in astutia, in circūuentione errorum.

Pro-

Propheta & prædicatores qui currunt
antequã mittantur, & sua auctoritate
ad populũ loquuntur, gloriam suã que-
runt: Sed qui à Deo mittuntur Dei glo-
riã zelant & cum Christo dicere pos-
sunt: *Mea doctrina non est mea, sed eius* Ioan. 7.
Matt. 12.
qui misit me. Imò importuni eiusmodi
concionatores animas quas ad sa-
lutis viã reducere & colligere oportu-
iisset dispergunt.

Optimè itaque Christus suæ Eccle-
siæ prospexit cum certis quibusdã præ-
dicandi munus contulit, & prædicatio-
ni verbi Dei idoneos deputavit; tales
enim Christi legati sunt; unde in illo-
rũ persona Paulus magnus ille gentiũ 2. Cor. 5.
prædicator inquit: *Pro Christo legati-
one fungimur tanquam Deo exhortante
per nos:* Hi sunt qui gentes etiam
maximè barbaras & quibusvis errorũ
tenebris inuolutas ad Christũ vocat:
Hi falsorum Prædicatorũ errores dis-
ijciunt: Hi sunt qui singulari Dei bene-
ficio cibum verbi Dei Ecclesiæ filijs e-
tiam paruulis præmandunt & distri-
buunt. Dico singulari Deo beneficio,
grauissima enim pœna est hoc cibo
priuari, ideoque ait Deus: *Et mittam*

famē in terra; nō famē panis, neq. sitis
 aqua, sed audiēdi verbum Domini. Sicut
 sicās hac rāquā multo grauiori pena
 os puniri, qui ingrātē hoc beneficia
 abutuntur. Sūt aut nōnulli qui omnino
 omnino prädicatores audire refugunt
 unt ne ab ijs ad bonū inducātur, similes
 les illi de quo regi⁹ Propheta ait, *Noluit
 intelligere vt benē ageret.* Alij autē
 eos solū audire gestiūt qui prurientes
 sibi aures scalpāt & blādiātur, imitantes
 illos de quibus scriptura ait *Qui ducunt
 videntibus nolite videre; & afficientibus,
 nolite aspicere ea qua recta sunt: lo-
 quimini nobis placentia, videte nobis erro-
 res.* Alij sunt qui libenter, verbū Dei
 audiunt & cum gaudio iuxta parabolam
 Euangelicam suscipiunt, verū ci-
 tiſsimē eius obliuiscūtur: Deniq; om-
 niū pessimi sunt illi qui cū pro pijs ac
 vtilibus monitis gratias Deo & mo-
 nentibus agere deberent, illis potius
 irascuntur, aduersus eos stomachantur,
 eisq; detrahūt, ac quod scelestissimū,
 est persecutionē mouēt: omnes autē
 isti ingratiſsimē cum collato sibi prae-
 dicatorum beneficio abutuntur, eoq;
 priuari ac pro meritis suis castigari
 me-

Ufal. 35.

Isaie. 30.

merentur. Dicit Deus apud Psalmi-
 stā, *Nolite tangere Christos meos & in* Psal. 104.
prophetis meis nolite malignari, quasi di-
 cat, quod ipsis factū fuerit ego resen-
 tiscam & vindicabo, uti pro simili de-
 licto impium Achabū Regē Israel ac-
 cussissimā simul & impiissimā eius cō- 3. Reg. 22.
 iugem Iesabelē puniui. Prædicatores 4. Reg. 9.
 summi Dei prophetae sunt, ideoq; ma-
 gno cum honore & reuerentia susci-
 pendi sunt, nam ut inquit Apostolus,
Qui benè præsunt Presbyteri duplici ho- 1. Tim. 5.
nore digni habeantur, maximè qui labo-
rant in verbo & doctrina.

Verū ad vltiora progrediamur,
 vtilitatē quā Ecclesia ex gubernatione
 & directione suorum pastorū cōsequi-
 tur videam⁹, quæ quidē tāta est ut sine
 hac Ecclesia nūquā fuerit, imo nec be-
 ne esse potuerit. Fateor quidem cum
 Chrysoft. Augustino alijsq; patribus *Hom. 60.*
 Christum esse bonū & verum illū pa- *ad Pop. An-*
 storē qui totam Ecclesiam regit & ad- *tiōib.*
 ministrat; quia tamen Ecclesia hæc vi-
 bilis est, & Christus se à nobis inuisi-
 bilē in cælum subduxerit, necesse est
 in ea præter Christū caput inuisibile al-
 ios pastores & rectores visibiles esse.

cum enim ex diuersissimis nationibus componatur, Magistratu aliquo quiescit. Pacem conseruet opus habet: Cum sit ouile, Pastoribus qui oues pascant, sanent, ac lupos rapaces arceant incutet. Dedit ergo ei Christus Pastores & Doctores, Episcopos dico & alios curam animarum habentes; quorum primi fuerunt Apostoli, & eorum ac Christi discipuli, quibus alij vsque hodiernum diem sequentibus retro seculis successerunt, adeo ut nunquam Ecclesie Prælati legitimi vocati & instituti defuerint: nam ut inquit irenæus, *per continuas episcoporum successiones & Traditiones confundimus omnes eos qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cecitatem & malam sententiam præterquam oportet colligunt.* Nunquam enim homines arrogantes defuerunt qui munus Pastorum ac prædicatorum se se ingesserunt, nunquam tamen suam Institutionem, Missionem, aut doctrinam vlllo legitimo titulo docere potuerunt. Ideoque Christus ait, *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro fur, autem non venit, nisi ut*

Iren. l. 3.
c. 3.

Ioan. 10.

si ut furetur, & perdat, & mactet. Tales
fuere omnium sæculorū hæretici qui
ouile Christi disperferunt, populum
seduxerunt, oues ad omnem impieta-
tem deduxerunt, atque ita in æternam
damnationem præcipitauerunt. Veri
autem Pastores Ecclesiæ contrarium
semper fecerunt & faciunt. Nam oues
sux curæ commissas intra vnum Chri-
sti ouile colligunt, doctrina pietatis
eas reficiunt, & in via salutis constitu-
unt: Ideoque nos Christiani qui eorū
oues sumus, pastores nostros honora-
re & amare tenemur, ijsque summa
animi submissione ac promptitudine
obedire. Iubet id S. Paulus, & simul ra-
tionem insinuat dicens, *Obedite Præpo-*
sitis vestris, & subiaceite illis: Ipsi enim
peruigilant quasi rationem pro animabus
vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faci-
ant & non gementes, hoc enim non expe-
dit vobis: vbi certè loquitur de singu-
larum diœcesum episcopis, Parœchi-
arum Parochis, & quibuscunque alijs
animarum curam & iurisdictionem
habentibus, & vult ijs tanquā Vicarijs
Christi nos obedire, siue boni sint si-
ue mali. Dixim⁹ supra potestatem ordi-

Heb. 13.

Aug. Tra.
Bat. 6. in
Ioan. &
ep. 137.

Aug. serm.
49. de
ser. Dom.

nis à bonitate hominis non depende-
re, idemq; nunc de potestate Iurisdic-
tionis asserimus: Si enim Ecclesiasti-
ca iurisdicção à bonitate hominis quæ
ordinariè occulta est dependeret, ipse
omniò incerta esset, vt docet Augu-
stinus; ideoque Christus vt simile do-
biū tolleret dixit: *Supra cathedrā Mo-
sis sedebunt Scribæ & Pharisei, quæ
dicūt facite quæ autē faciunt nolite facere.*
vbi iubet, vt inquit Doctores, facere
quæ dicūt quam diu ipsi Eccle-
siæ vniuntur & sanam doctrinā docent.
Si enim dogmata fidei inuerrant aut
endi non sunt, vt vult Chrysost., quan-
tumuis angeli essent. Notate itaque ex
S. Augustino. regulam quam hoc calu-
sequi debemus, *Diligendus est pastor, te-
lerandus est Mercenarius, cauendus est
latro.*

Magnam itaque gaudendi ac Deo
gratias agendi materiam nāciscimur,
cum de veris bonisq; pastoribus no-
bis prospicit Christus; semper autē pro-
spiciet etiā meliores submittēdo si eis
debita alacritate ac reuerentia obedi-
amus: Sin verò nos refractarios & re-
belles exhibeamus, facilè officij sui
obliti

obliuiscuntur pastores: & sicut bonos rectores nō audiētes bonis pastoribus priuat, ita & q. se eis indignos reddūt vt dignum est iisdem priuat. Et hoc est quod populo Israelitico Deus per Osee minatabatur dicens, *Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacerdote:* siue vt legit August. sine sacerdote. Videmus id modo multis etiam Christianorum populis euenisse; cū enim prius se vitijs luxuiq; dedissent, exin in Hæreses & Scismata veris pastoribus amissis prolapsi sunt. Si itaque velimus à Deo à tantis incommodis præseruari bonosq; Prælatos ac pastores nobis cōtinuari, bonas & subditas oues nos exhibeamus; nam & ordinis dignitas vt supra tetigimus eos exornat, & iurisdictionis autoritas de qua modo egimus, vt hoc faciamus, cogit. Nā vt inquit Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est .n. potestas, nisi à Deo,* quasi dicat, sicut Deus quibusdā hominibus peculiare potestatem & auctoritatem cōtulit, ita etiā eosdem honorari & suspici iussit.

Quod autem hanc auctoritatem digni-

P 6 tatem.

Osee. 3.

August. 1.
18. de ci-
uit. c. 28.

Roman. 13.

1. Tim. 3.

tatemque suscipientis spectat, sciendum est, quod sicuti virtutis est oblatam legitimè potestatem humiliter acceptare & exercere, ita vitij est cum incapax sis eam præsumptuosè petere & ambire; Vnde inquit Apostolus: *Quod episcopatum desiderat bonum opus desiderat. si scilicet dignus est, & magistralutem animarum quam præferentiamet: alias enim, ut inquiunt Doctores periculosa præsumptio est.*

Nam Prælatura tã Ecclesiastica quàm monastica, & officiũ prædicationis & uangelicæ multas perfectiones præsupponunt; ideoque sancti Dei homines ab his onerosis honoribus quantum sibi possibile fuit se excusarunt, Sanctus Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, & Gregorius, ne in Episcopos promouerentur fugerunt, & quia electione declinare nequibant inuitissimi assentiebantur: idem à S. Nicolao, Martino alijsque factum legimus. Ammonius ad euitandam hanc dignitatē alterā auriculā sibi abscidit, addens se & linguā præcisurā si amplius vrgeretur. S. Nilamon cū quibusdā, qui eū ut episcopatū susciperet

Vide Metaphr.

Paulin.

August.

ep. 14^a

Vide Vitae

Nicephor.

l. II. c. 37.

Zozom. l.

3. c. 9.

importunè vrgebant, diutius resistere nequiret, orationi se dedit, Deūq; rogauit vt se poti⁹ huic vitæ subduceret, quā populo episcopū daret, quod & obtinuit. Religiosorū manibus teruntur libri qui narrant quomodo Abbas Pinusius maluerit hortulano seruire quam curam monasterij suscipere: & S. Marcellus abiectissimum totius cōuentus officiū, cui tota sua vita deseruiret elegerit, ne Superior fieret.

Quam verò arduum & difficile sit prædicationis officiū sancti viri probè perspexerunt; Nam vt docet Greg. Munus hoc obeūtib⁹ periculū est ne vana gloria abripiantur, & dum alios mundant ipsi coinquantur, ideoq; eorū multi aut in toto huic officio renunciarunt, aut minus celebres minusq; vanitati expositas cathedras quæsierunt. Testatur S. Bernardus de Norberto Præmonstratensium fundatore, quod cum alias præcellens concionator audiret, maluerit semper in vicis & villis quā vrbibus concionari; neq; respexit magna an parua, nobiliū an ignobiliū, diuitū an pauperū concio adesset Reliqua exempla præ-

Cassian. l.
4. c. 30.

Surius in
Vita eius.

Bern. ep.
56.

tere & finem horum facio, non enim
muneris est Prælatos & Prædicatores
sui officij commonere, cum magistri
habeant sacram Scripturam in qua Pe-
trus eos monet dicēs, *Pascite qui in vo-*
bis est gregē Dei. providentes non coacti
sed spontaneè secundū Deū, neque turpi
lucris gratia sed voluntariè, neque domi-
nantes in clero, sed forma facti gregis ex
animo. Et Paulus eos hortatur, ut doce-
ant doctrinam sanam & irreprehensi-
bilem, caueant profanas vocum nomi-
nates & vaniloquia: stultas quoque &
fine disciplina quæstiones deivæ,
curiositates fugiant, & quæcunq; edi-
ficationi non deseruiunt omittant. In
eadē quoq; inuenient quāta eos mer-
ces maneat, si prædicādo salutem pro-
ximi promouerint, & quanta pœna si
negligentes fuerint, officioq; suo de-
fuerint. *Qui enim docti fuerint, inquit*
Daniel, fulgebunt quasi splendor firma-
menti: & qui ad iustitiam erudiunt mil-
tos quasi stellæ in perpetuas æternitates.
Si autem dicente Domino, *Morte mor-*
rieris, pastores oves suas peccantes no-
monuerint, requireret Dominus sangui-
nem earum de manu ipsorum. Vnde S.
Petrus

1. Pet. 5.

Tit. 1.

2. Tim. 2.

Dan. 12.

Ezech. 3.

Petrus ait, *Pascite qui in vobis est gregē, i. Pet. 2.*
 &c. Et cum apparuerit Princeps pastorū
 percipietis immercesibile gloriā coronā.
 Pastor autē pastorū Iesus Christus nō
 solum bonos pastores, verum etiā hu-
 militer subditos coronabit, oportet i-
 taq; in omni humilitate & amore prę-
 latorum Ecclesię audire & maximē eum
 quem toti suę Ecclesię summum ca-
 put, & vniuersalem Pastorem prępo-
 suit, de quo nunc agendum erit.

CAPVT TRIGESIMVM.

*De commoda & dignitate qua Ec-
 clesiā ab vno summo capite,
 & Pastore proma-
 nant.*

SI necessarium fuit, vti necessarium
 esse ostendimus in singulis episco-
 patibus singulos Pręlatos esse, neces-
 sarium quoque erit generali Ecclesię
 etiā generalem pręfectum dari,
 quod multis ac pulcherrimis ratio-
 nibus declararunt nostri tēporis Scri-
 ptores, vt ex editis eorum voluminib;
 videre est. Nos aliquas tantum conso-
 lationis & instructionis causa deliba-
 bimus,

*Rob. Bell.
 Gregor. V. &
 lent.*